

Nf. 16.



DISSERTATIO POSTERIOR
DE

ORTV

ANIMAE HVMANAE
A DEO,

NON PER ESSENTIALEM EMANA-
TIONEM, SED PER CREATIONEM;

VIRO CLARISSIMO, PETRO POIRET, OPPOSITA:

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQA;

die Decembr. hujus MDCCXIII anni

in publico colloquio disquirendam proponit

PRAESES

D. IOACHIMVS Lange,

S. TH. PROF. ORDIN.

RESPONDENTE

ANDREA GOTTFRIED UHDE,

HATTMERSLEBIA MAGDEB.

S. TH. CULT.

Editio. II.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Litteris CHRIST. HENCKELII, Acad. Typ. 1727.

DISSERTATIO POSTERIOR

OR TV

ANNAE

NON PER

DN. FRIDERICO WILHELMO


D. LOACHIMVS

ANDREA GOTTFRIED FROE

HEINRICH MADDERICHAU

LUDWIG CHRIST HEINRICHS





DISSERTATIO POSTERIOR
CAPITI XI. L. I. OECONOMIAE
POIRET. OPPOSITA,
ALIQVOT SCRIPTVRAE LOCORVM VIN-
DICIAS CONTINENS.

§. I. AVCTOR.

NEqua super esse possit dubitatio de iis, quæ diximus, animam esse naturæ divinæ & ex Deo natam, non possum quin ostendam, eadem, quæ a nobis hæcenus tradita fuerunt, vel majora etiam, a scriptoribus sacris inculcari. Nimirum illi, quando de Deo & creaturis intelligentibus loquuntur, appellationes patris, filiorum, sororis, sponsæ, amicorum, semper in ore habent, Deique & animæ conformitatem naturalem præsupponentes hominem instantissime monent, ut Deo se similem præstet, & perfectus sit perinde atque ipse; perfectus est, quo ita ad statum primitivæ constitutionis revertatur. Ipse Deus eos, quibus, verbum suum credidit, Deos vocat; (Psalm. LXXX, 6.) & Petrus ait, *divina naturæ participes fore, quotquot a desideriiis corrupti sæculi abstinebunt.* At nobis propositum non est numerosam locorum multitudinem, quæ huic referri possunt, e sacris congerere; sed sufficit unum alterumve ex evidentissimis disertissimisque inspicere.

§. II. DIALYSIS.

1. Mihi quidem inversus videtur ordo esse, dogma aliquod peregrinum, quod adoptatum fuit, primum e congesto cogitationum suarum apparatus copiose proponere, & deinde e sacris litteris carptim stabilitum, aut confirmatum, ire. Hac enim ratione facile eo adducimur, ut credendi principium haud obscure ponamus in nobismetipsis; saltem ut præjudiciis nostris, in Scripturam illatis, pro regulis hermeneuticis utamur.

2. Ad appellationes *patris, filiorum, sororis, sponsæ & amicorum*, in sacris litteris frequentes, quod attinet; accipiendæ illæ sunt pro ista analogia, quam, salva natura, creatorem inter ac res creatas, diversitate, mysterii ratio gignit & postulat. Nec enim ad hujus *θεωσιών* eadem requiritur natura; sed potius naturarum discrepantia mysterii, quod in decenti, eaque summa, communione est, magnitudinem auget.

3. Nomen □□□□ Psalm LXXX, 6. uti & Exod. XXII, 8, 9, 28. positum est latiori sensu de iis, non natura talibus, sed tantum nomine: seu est nomen non naturæ, sed officii judicarii. In quo quia DEUS iudices, seu magistratus, habet vicarios, ideo eos sui nominis participes fecit. Et ab hac nominis participatione Paulo I Cor. II, 5. sunt *θεοὶ λεγόμενοι*, Deo uni & soli, natura tali, oppositi.

4. Locus Petri nequaquam agit de creatione, nec de substantia animæ, de qua præfens est disquisitio; sed de ea cum Deo communione, ad quam in regenerationis & renovationis ordine aditus datur. Certe manifestum est, Apostolum loqui de ejusmodi divinæ natu-

ræ novavit, non quam jam tum habemus per fortem nascendi inde a primæ creationis origine, sed quam deum per gratiam accipimus. Unde eam *promissionem* vocat. Ceterum quid de numerosa locorum multitudine, ad quam Auctor noster provocat, sentiendum sit, mox constabit, ubi ostendero, ipsum etiam ab evidentissimis disertissimisque, quæ vocat, plane deferri.

§. III. AVCTOR.

Inter Auctores sacros soli sunt Moses, Johannes & Paulus, qui animæ originem proprie & expresse commemorarunt: qua in re ea afferunt, quæ plane divina sunt, & cum aliis, quæ tradidimus, omnino consentiunt. Et Moysis quidem verba Gen. II, 7. juxta textum authenticum ita habent: *Dominus Deus formavit hominem pulverem e terra, & spiravit per faciem suam seu ex facie sua, spiritum vitarum, & homo factus est anima vivens, seu spiritus vivens.* Quæ cum ad rem præsentem plurimum momenti afferant, volui ea ad verbum reddere, parum sollicitus, quid vel interpretes alii, vel Latinæ linguæ puritas velint. Moses in superioribus meras commemoraverat creaturas, quæ divinæ naturæ non sunt, & harum quidem originem describens, eas per mandatum Dei & creationem absolutam existisse, dixerat, Deo solam potentiam & voluntatem suam arbitriam contribuyente: & id quidem implicite indigitant verba, quæ omnium prima posuit: *Initio Deus creavit caelam & terram*, quibus descriptionem particularem mox subjungit. Ubi omnia tum in productione animalium & animarum eorum, tum in creatione rerum inanimatarum per verba mandati exprimuntur. At vero, ubi ad hominem transit, omnia mox divina & singularissima apparent. Hic autem Moses materiam, ut ita loquar, qua totus homo constat, h. e. materiam tum corporis, tum animæ, commemorat: (his verbis nunc utendum, quæ & supra explanavimus)

mus.) Materiam corporis ait fuisse pulverem, vel, si *ma-*
vis, materiam, aut essentiam subtilem a Deo et terra, seu *ex*
rebus rubicundis (id enim verba authentica volunt) extra-
 ctam. De materia vero spiritali, modoque, quo anima
 producta est sequentia observat.

§. IV. DIALYSIS.

1. E scriptorum Θεοπνεύτων numero solos istos tres,
Mosen, Joannem & Paulum, proprie & expresse originem
 animæ commemorare; est adsertum bifariam a verita-
 te alienum. Nam 1.) locus Joanneus, de quo deinceps,
 huc non pertinet; nec Paulinus, uti mox videbimus;
 quanquam alias Paulus omnino de origine animæ, quam
 per creationem accepit, loquitur, quando creati homi-
 nis, qui anima & corpore constat mentionem facit 1.
 Cor. XI, 9. Col. I, 23. 1. Tim. II, 13. Confer phraséologi-
 am Eph. IV, 24. Col. III, 10. 2) Præter modo dictos
 tres illos etiam alii dogma de creatione animæ attin-
 gunt: v. g. *Petrus* epist. c. IV. exigens, vt *ANIMAS*
nostras Deo, ὡς πνεῦμα καὶ σῆμα tamquam *sido* *CREATORI*, *com-*
mendemus. Qua autem veri specie hic, ubi & creatoris
 & animarum in arctissimo nexu respectuque fit men-
 tio, negabitur, Deum, qui rerum omnium, nulla omni-
 no excepta, creator est, etiam humanæ animæ creato-
 rem esse? Huc pertinent loca, ubi Deus condidisse di-
 citur *OMNIA*, & speciatim *HOMINEM*, & quidem,
 ratione necessarij sensus, *integrum*, seu *totum*.

2. Necest, quod CL. Auctor ad Mosen provo-
 cect; utpote qui ipsi omnium maxime contrarius est.
 Nam c. l. v. 27. expressissime, idque ter, adserit totum
 hominem esse *CREATUM*, ter adhibito verbo בְּרָא.
 Modus vero commemorandi singularis, quo in creatio-
 ne

ne hominis utitur, nequaquam ipsi creationi proprie sic dictæ obstat, sed tantum prærogativam creati hominis præ reliquis rebus productis indicat. Nec video, Auctorem nostrum proprietatem verbi **ברא** negare. Unde eo magis miror, quod loci huius Mosaici emphasin tam manifestam haud viderit; immo quod hunc locum plane præterierit, ac si nullum ejus vestigium extaret. Locum vero alterum, qui cap. II, 7. occurrit, ipsi haud patrocinari, mox constabit.

§. V. AVCTOR.

Principio Deum ita introducit, ut eum non per mandatum, non per formationem, aut creationem, sed per inspirationem, animam produxisse narret. Quæ duo profecto non parum inter se differunt. Quisquis enim iubet, is nihil quidquam ex intimis suis in re iussa producit, & qui format, is solam formam aut modificationem dat materiæ jam existenti; qui creat, is nihilo existentiam dat. At aliud est in spiratione, quæ est communicatio ejus, quod in intimis seu intra cor spirantis est. Ergo Deus homini ea dedit, quæ in ipso erant, h. e. divinam naturam suam: nihil enim aliud in Deo est.

§. VI. DIALYSIS.

1. Adserit Auctor, spirationem divinam nihil esse aliud, quam communicationem ejus, quod in intimis ejus fuerit, h. e. divinæ naturæ. Sed non sufficit, hoc dicere. Probatione opus erat. Hujus vero nullum video vestigium. Spirationem a creatione nequaquam fuisse diversam, utriusque loci collatio evincit. Quia enim ter dicitur Deus hominem, eumque totum (atque ita etiam ea parte, quæ divinæ imaginis maxime capax erat) ad suam imaginem creasse, omnino etiam animæ pro-

productio ad creationem referenda est. Hoc vero supposito, spiratio seu sufflatio, quæ posteriori loco respectu animæ commemoratur, neutiquam opponi debet creationi, sed referri ad animæ proprietatem plane spiritualement, eo ipso indicatam; uti & ad scopum Θεοπνεύσεως scriptoris, qui fuit, significare, animam humanam non eductam esse e potentia materiæ uti in reliquis animantibus, sed corpori a Deo fuisse infusam; per creationem tamen. Utrum vero corpus prius fuerit creatum, & deinde anima? aut an homo utraque sui parte simul productus fuerit? non potest certo definiiri; posterius tamen probabilius est.

2. Ceterum lubens accipio hanc confessionem: *Qui creat, nihilo existentiam dat.* Iam vero, ut modo dictum est, Deus creavit totum hominem. Ergo toti homini, & κατ' ἐξοχήν animæ, ut antea mero nihilo, existentiam dedit.

§. VII. AVCTOR.

Secundo Moses designat, quo medio, per quem, aut propter quem, Deus id fecerit, dicens, Deum inspirasse e *facie sua*, aut per *faciem suam*. Vox ebraica notat iram, seu animositatem, tum vultum, itemque intuitum vel respectum ad aliquem; notat & nares, & si recte observes, *os*. Ego vero hæc non ad Adamum, sed ad Deum refero, propter rationes, quas mox videbimus: eademque de Deo verissime dicuntur, licet non omnia ab omnibus intelligi possint. Si dicerem, Deum per principium; quod nonnullis ignis divinus, ira aut animositas Dei vocatur, animam produxisse, verba mea procul dubio non intelligerentur. Itaque ajo, Deum spiritum suum, seu divinam naturam, communicasse cum homine per *faciem suam*, quo nomine Filius Dei in sacris frequenter indigitatur; seu per *os suum*,

suum, quod eodem redit. Et hac quidem voce expresse utitur David, quando originem angelorum describit, dicens, *Exercitum caelorum* (intellige mentes angelicas) *per spiritum ORIS Domini factum fuisse*. Si pro verbis *faciei & oris* reponas vocem *inuitus, considerationis, contemplationis*, aut *visus*, res eodem redibit. Videlicet Dominus spiravit *per considerationem sui*, aut *se se contemplando*; temet ipsum in imagine sua Essentiali, in Filio & Primogenito suo, per quem, propter quem & ad quem fecit omnia, aspiciendo: quam veritatem nos & supra vidimus, & mox in Paulo videbimus. Ergo in hac contemplatione Dominus in hominem spiravit, *spiritum seu animam vitarum*, hoc est, animam potentius omnibus, omnibus virtutibus & facultatibus, omnibusque modis cogitandi & volendi, quæ in Deo sunt, *vivide donatam*. Atque ita *homo factus est anima vivens*: hoc est; Ita anima, vitam Divinam vivens, originem suam a Deo in homine accepit.

Cæterum ego verba hæc *faciei, oris, considerationis & respectus*, non ad Adamum, sed ad Deum retuli; quoniam locus Davidis, quem modo vidimus, eodem ducit, & hoc, quicquid est difficultatis, aperte tollit. Sed & alias sententia illorum crassiuscula foret, & tum Mose, tum omni alio indigna, qui forte vellent, Deum hominis instar, in vultum seu nares corporis Adami materialiter spirasse, quando animam ei donare voluit: quæ quidem recte cogitari nequeunt.

Sine dubio Mosis verba volunt, Deum per & propter verbum suum, aliquod veluti compendium vivum omnium potentiarum & perfectionum suarum ex semet ipso extraxisse: indeque, postquam illud homini per donationem puram proprium concessit, hominem vita & anima divina animatum existisse. Quæ tam plana sunt, & tum Deo, tum Mose & ipsa anima divina, adeo digna, ut supervacuum arbitrer, prolixius iisdem insistere.

§. VIII. DIALYSIS.

1. Ante omnia lubens amplector etiam istam confessionem, quod duriuscula, & tum Mose, tum omni alio, indigna sit sententia illorum, qui forte vellent, Deum, animam homini donaturum, hominis instar, in vultum, seu nares corporis, materialiter spirasse.

2. Non minus lubenti amplector animo sententiam Cl. Auctoris nostri, qua existimat, DEUM per filium suum hominis animam produxisse. Nam de hoc non est dubium, quia, teste Ioanne c. I, 3. *Omnia per λόγου facta sunt, & sine ipso ἔθε ἐν, ne unica quidem res facta est.* Jam si ad unum, sine ulla exceptione, omnia; quidni etiam anima hominis? Consentunt alia scripturæ loca, præcipue Psalm XXXIII, 6. Col. I, 16.

3. Utrum vero hoc ipsum in loco nostro indicatum sit voce **פניו**, merito disquiritur. Nam etsi suffixum ad ipsum Deum referamus, quo minus tamen vocem ipsam de filio Dei accipere possimus, obstant sequentia: a) *Significatio grammatica.* Pro hac enim vox **פניו** e verbo **פנן** iratus fuit, iram naribus spiravit, demta littera **ו**, derivata, vultum quidem significat, sed proprie iratum, seu spirantem, uti & nares, quibus ira spiratur; unde & de ipsa ira dicitur. Quomodo autem hæc hujus vocis notio, a spirante ira desumpta, filio Dei potuit convenire? Alia esset ratio, si hic posita fuisset vox **פניו**: & sic simul locum haberet notio intuitus, adspæctus & conspæctus; non vero proprie respectus & considerationis, seu contemplationis: id quod multo minus convenit grammaticæ vocis **פניו**, seu **פניו**, notioni; uti Auctor noster existimat, b) *Ufus biblicus*

Hic

Hic certe nescit hanc hujus nominis acceptionem. c) *Parallelismus*, ab Auctore nostro adductus. In neutro enim loco quidquam deprehenditur, quod novam istam sententiam tueatur. Et fac Psalmo XXXIII, 6. nomine *oris Dei Filium* intelligi; quomodo $\tau\delta$ הוּא hic nostrum הוּא , seu הוּא , quod in textu Mosaico habemus, tuebitur?

4. Immo si ob sensus convenientiam, vel maxime concedatur, $\tau\delta$ הוּא hic de filio Dei accipiendum esse: nihil tamen hac significatione lucratur hypothesis de animæ non creatione, sed emanatione. Potius sensui de emanatione manifeste obstant loca parallela Io. I, 3. Col. I, 16. ubi, nulla plane *emanationis* mentione facta omnia dicuntur per filium *condita*, seu *creata*.

§. IX. AVCTOR.

Progredimur ad Ioannem, qui ita scribit: *Omnia per verbum facta sunt; & sine eo nihil ejus, quod factum est, est factum*: additque: *Vita erat in ipso; & hæc vita erat lux hominum*. Ubi, postquam in genere dixerat, creaturas factas esse a Deo per filium suum, mox de hominibus, qui vitam habent divinitus viventem, subjungit, *vitam hanc fuisse in verbo*. Quæ verba eodem redeunt, quo verba Mosis dicentis, Deum ex se per Filium suum spirasse spiritum vitarum; & manifesto docent, essentiam naturamque animæ, qua divinæ, eandem esse, quæ est ipsius Dei, quæ in Verbo semper fuit, & quam Verbum, (Primogenitus Dei) per naturæ suæ necessitatem possidet; quamque Deus, in reliquis filiis suis, hoc est in creaturis, quæ eadem hæc divina vita, (quæ in Verbo est) vivunt, per & propter verbum gratuito produxit. Ut planius intelligeretur, addit, *vita hæc est lux hominum*, nimirum hæc vita est, quæ

quæ & in divino Verbo plane luminosissima est, & homines, in quibus per divinam gratiam suam habitat, illuminat.

§. X. DIALYSIS.

1. *In Christo erat vita, & vita illa erat lux hominum*, ait Ioannes. Ergo (pro sententia Auctoris nostri) essentia seu natura animæ, qua divinæ, eadem est, quæ est ipsius Dei, quæ in verbo semper fuit $\alpha. \tau. \lambda.$ Sed quæ hic consequentia? quæ hypotheseos consecutio? Nulla sane in verbis Moſis de inspiratione Dei, uti vidimus. Dicitur quidem Deus spirando homini *spiraculum vitæ* impertivisse; & facile largimur, immo ipsi potius contendimus, hanc vitæ & animæ humanæ originem etiam filio Dei acceptam esse ferendam, & hoc ipsum indicare Ioannem: at vitam seu animam Christi ac hominum esse unius ejusdemque naturæ, quæ etiam apud hos per essentialem emanationem existiterit, hoc est, quod negamus, & hoc neutro loco adferitur.

2. Verba Ioannis: *in ipso erat vita*, nihil indicant aliud, nec quidquam indicare possunt excellentius, quam $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\upsilon$ esse ipsam vitam, essentia ipsa talem; quem admodum certissima ipsius Christi interpretatio nos docet c. XI, 25. XIV, 6. nec non Ioannis epist. I. v. 1. 2. c. V, 11. 12, 20. Ubi Apostolo $\tau\acute{o}$ Christus est vita, idem est quod, *vita est in Christo*, seu Dei filio. Fuit vero & adhuc est, eritque in Christo vita tum $\sigma\alpha\iota\omega\delta\acute{\omega}\varsigma$, tum $\epsilon\nu\epsilon\gamma\chi\eta\tau\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$, ratione effectus. Quo respectu & naturalis & spiritualis vita, quæ in protoplastis una erat, fuit in Christo, & iis ab ipso collata est. Vide Io. XI, 25. ubi a causa, *ego sum vita*, fit argumentatio ad effectum, nempe restitutionem naturalis & æternæ vitæ: *quicumque crediderit in me, vivet.*

3. Quod

3. Quod si vita (& inde, uti Auctor vult, etiam anima) filii Dei & hominum unius & eiusdem esset natura, seu essentia, sequeretur, aut homines natura adhuc habere spiritualement vitam, quia illa in Christo fuit, aut Christum etiam hac caruisse. Quod posterius non minus sane absurdum est, quam prius.

§. XI. AVCTOR.

Duplex est locus Pauli de eodem argumento, uterque insignis: alter in actis Apostolorum, alter in Epistola ad Colossenses. Ad Colossenses ita scribit de Filio Dei æterno, quem Filium dilectionis patris vocat: *Ille est imago DEI invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: etenim per eum creata sunt omnia, quæ in cælis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per eum & ad eum creata sunt & c.* Quibus verbis Paulus, ut æterni Verbi Majestatem illustret, comparationem instituit Verbum inter & Mentis Intelligentiasque cælestes, ostendens, quomodo hæ ab illo differant diversitate originis. De verbo æterno ait, illud esse imaginem Dei invisibilis: at cum & idem de mentibus creatis dici poterat & a scriptura de homine affirmatur, addit, hunc Filium hanc Imaginem Dei, ante omnes alios Dei Filios, & ante omnes alias ejus imagines intelligentes, sive illæ in cælis sint (qui sunt Angeli) sive in terra (qui sunt homines) ex Deo natum fuisse. *Primogenitus est*, ait, *creaturarum harum omnium: etenim si recte attendas, videbis has proprie creaturas, non eas, quæ tantum corporeæ sunt & anima Divina carent, ab Apostolo intelligi.*

§. XII. DIALYSIS.

1. Locus hic Auctoris nostri hypothesein directe evertit. Etenim omnia, quæcunque sunt in cælis &

in terra, distinguuntur in creatorem & creaturas, adeo ut harum nomine non solum visibilia, sed etiam invisibilia, seu spiritus, expresse comprehendantur, & ab his anima hominis nulla veri specie eximi possit. Jam vero si anima hominis etiam creatura est, exstitit utique per creationem, non vero per emanationem. Quid? quod ipse Auctor noster hic largiatur, mentes esse creatas, sive in cœlis sint, ut angeli, sive in terra, ut homines, h. e. spiritus corpore organico præditi. Quod si creatæ sunt, ante sui creationem ratione naturæ suæ non existerunt in Deo, sed merum fuere nihil: siquidem, ipso Auctore nostro fatente, creare est nihilo existentiam dare. Non ergo video, quomodo hæc hujus loci allegatio, & hæc concessionem, cum hypothesi, ad cujus præsidium facere debent, consistere possint.

2. Ceterum Paulus filii Dei & eorum, quæ creatæ sunt, differentiam ita constituit in diversa origine, ut satis manifeste indicet, *omnium* in ipsa quoque essentia, creatorem a creaturis distinguente, consistere.

§. XIII. AVCTOR.

Quod dicit, eum *primogenitum esse* creaturarum omnium intelligentium, id necessario duo infert: Ita enim primo indicatur, res intelligentes a DEO natas esse perinde ac Filium Dei, hoc est, eas essentiam naturamque suam ab ipsius Dei natura accepisse, quemadmodum Verbum naturam suam a Patre habet. Deinde vero innuitur differentia, qua Verbum ab aliis distinguitur, eaque duplex: Primo dicitur, Filium Dei dilectum esse *Primogenitum* & esse (v. 17.) *ante omnes alios*: hoc est, eum coæternum esse ipsi Deo, ante quem nihil omnino vel ex Deo, vel in Deo nasci cœperit; cæteros autem quamvis pariter

EX

ex Deo nati sint & hujus Primogeniti sint fratres, post ipsum tamen natos esse. Additur secundo, ceteros *per ipsum & ad ipsum* creatos esse, & *per eundem subsistere*. Quibus indigitatur, Primogenitum Dei & Deo & rebus omnibus plenissime sufficere. Nimirum sufficit Deo; quoniam cetera omnia coram Deo, ipsum possidente, non nisi creaturæ sunt, hoc est, ipsissimum nihil, quo Deus non indiget, & quo omnino carere potest; quippe qui in Filio suo, qui totius Divinitatis desiderium omne implet, contentus acquiescit. Idem & rebus aliis, seu ad res alias fundandas, sufficit; etenim per illum, illius respectu, illius contemplati, ne, divina ejus pulcritudine movente ad ejus representationem, per imitationem nativitatis ipsius, perque vim, quam Deus in ipso exseruit, Angeli omnes coelestes, omnesque homines, qui in terris sunt, originem & essentiam suam acceperunt. Quæ eadem a nobis supra tradita fuerunt.

§. XIV. DIALYSIS.

I Locutione de filio Dei, *primogenitum esse omnium creaturarum, indicari, res intelligentes ex Deo natas esse perinde ac filium Dei, h. e. essentiam naturamque suam ab ipsius Dei natura accepisse, quemadmodum Verbum naturam suam a Patre habeat*; a vero quam maxime abhorret. Id quod quando adfirmat Auctor noster contradictionem, quam Logici vocant, in adjecto committit. Fateretur enim mentes vocari & esse creaturas; & tamen negat, eas factas esse e nihilo per creationem, sed contendit, eas natas esse divina essentia per emanationem. Certe creatum esse, & ideo *κτιστός* nomine vocari, & tamen non extitisse ex nihilo per creationem, sed per emanationem ortum esse, de anima Adami summe sunt

ἀποστάσις

1. De-

2. Deinde falsum est, phrasi, *primogenitum esse omnium creaturarum*, indicari, filium Dei ita coeternum esse ipsi Deo, ut, cum ante ipsum nihil omnino vel ex Deo, vel in Deo nasci cœperit, post ipsum tamen fratres ipsius pariter ex Deo nati sint. Nam illi, quorum naturam Auctor e Deo natam esse existimat, expresse vocantur κτίσις. Et hæc creationis notio, rerumque, non e Deo per emanationem natarum, sed a Deo creatarum, notatio bis in verbo κτίσεν seu κτίξεν, repetuntur. Unde mirum est, id, quod κτίσις, seu mera creatura, est, & de quo creatio repetitis modis expressissime dicitur, ab Auctore nostro haberi potuisse pro re ejusdem naturæ, quam is ab æterno habuit, qui non est, nec dicitur πρώτης, primo creatus, sed πρώτου, primogenitus. Quod si filius Dei a Paulo vocatus fuisset πρώτης, collocari posset ratione naturæ in unam cum illis classem, qui κτίσις & κτιθέντες vocantur. Sed hac ratione æque Dei filio, quam hominibus, abjudicata fuisset divinæ naturæ communicatio. Quicquid enim κτίσις, creatura est, ratione naturæ a creatore suo omnino differt. Jam vero quia filius DEI non est πρώτης, sed πρώτου, a genere & numero, atque ita etiam a natura, omnium illorum, qui κτίσις sunt, omnino distinguitur. Obiter hic moneo, nemini debere mirum, aut paradoxon, videri, quod filius Dei hic dicitur πρώτου, pro πρώτου. Nam, uti doctis notum est, verbum τίτω non solum significat pario, sed etiam gigno, seu genero. Indicatur ergo hac voce, πρώτου, æterna filii generatio. Et videtur in hac locutione, πρώτου πάσης κτίσεως, supplenda particula πρό, in sen-

fenſu vocis primæ latens, ita ut integra phraſis ſit, *πρωτότου* *πρὸ πάσης κτίσεως*, *primogenitus ante omnem creaturam*, h. e. ab æterno. Unde, inter alios interpretes, ſeu metaphraſtas, Lutherus noſter bene reddidit, *der Erſtgeborne vor allen Creaturen*. Huc accedit, quod v. 17. dicatur eſſe *πρὸ πάντων*, ante omnia, h. e. ab æterno: conf. Pſal. XC, 2, Prov. VIII, 23. Apoc. I, 8. τὸ *primus* de Deo æternitatem notare, vide Jeſ. XLI, 4. conf. c. XLIII, II. Nec incommodus eſſet ſenſus, ſi, neglecta ellipſi, diceremus, Genitivum *κτίσεως* ideo cum æternæ generationis mentione eſſe copulatum, ut intelligamus, filium a Patre ita ab æterno eſſe genitum, ut in tempore eſſet principium effectivum omnis creaturæ, utpote per quem, Ioannē & Paulo teſtibus, omnia creata ſunt. Commate autem 17, voce *πρωτότου*, ubi principium & primogenitus e mortuis dicitur, reſpicitur ad humanam naturam; utpote ſecundum quam, cum communicatione divinæ naturæ, Chriſtus reſuſcitatus eſt e mortuis & conſtitutus caput eccleſiæ, quod ſpiritum vitalem a ſe diffundit in univerſum corpus ſuum myſticum, in omnibus cum auctoritate ſumma & architectonica primas tenens. Conf. I. Cor. XV, 20. Eph. I, 22. IV, 15. V, 23. Ap. I, 8.

3. Ceterum adverſus Auctoris noſtri errorem, quo Filii Dei & animæ humanæ naturam habet pro eadem, ſeu pro divina, probe notandum hic eſt, Chriſtum non ita eſſe primogenitum, ut habeat ſecundo genitos, qui unius cum ipſo naturæ ſint, ſed eſſe primogenitum ratione divinitatis ſuæ, ut ſecundum eandem ſimul ſit *μονογενής*, unigenitus, nullos ratione naturæ pares agnoſcens Joh. I, 14. c. III, 16. Atque ita Chriſtus non habet fratres ſecundum divinam naturam, ſed tantum ſecundum humanam, *ἀγαλόγας* ſic dictos; quemadmodum etiam conſtat ex Hebr. II, 14, 17.

§. XV. AVCTOR.

Sed & alter locus Pauli egregie imprimis ostendit, quæ sit animarum nostrarum natura & origo, quæ earum conformitas cum Deo, quomodo item ab illo differant. Verba ipsa longiuscula sunt; præcipua tamen, quæ ad argumentum nostrum faciunt, sunt hæc: *Quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis: Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt; hic cæli & terræ cum sit Dominus non habitat in templis manufactis, nec hominum manibus colitur, cum rebus nullis indigeat, qui omnibus spiritum & vitam & omnia dat. - - Ille non longe est ob unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, & movemur & sumus: sicut & quidam poetarum vestrorum dixerunt, nos illius esse genus. Cum itaque progenies illius simus, non debemus aestimare, auro, vel argento, vel lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominis, divinitatem esse similem.*

Verba vere divina, quorum pondus ut recte intelligatur, observandum: Paulum loqui gentilibus idololâtris & cæcis, qui nec Deum, nec se ipsos, noverant, omniaque confundebant per ridiculam & superstitiosam idololatriam, a qua Apostolus eos revocare conatur. Illi quidem in genere videri volebant Deum colere: sed cultum omnem suum erroribus admistis corrumpebant; Principio enim, ignorabant naturam Dei Independentem & Sufficientem; eam concipiebant tanquam rebus aliis præter se, indigentem: inde putabant, Deum creaturis, earumque cultu carere non posse: rati proinde, se cultu sacrificiisque suis rem Deo gratissimam utilissimamque facere, Deumque sibi hoc ipso veluti insigni beneficio obligatum habere. Deinde vero ubi Deum cognoscere volebant corporeum eum imaginabantur & limitatum, tanquam habitantem in templis corporeis, atque adeo ibidem quærendum. Tertio existimabant, Deum similem esse idolis corporeis, aut certe magnam ei cum illis esse convenientiam.

Contra errorem primum Paulus iis inculcat, Deum esse Ens independens, *nulla re indigens*, sibi se solo, sola Idea sua, soloque Amore suo omnino sufficiens quique nihil unquam ab ulla re, natura, idea vel creatura, accipere potest; qui omnibus carere potest, qui nemine, nec ulla, re alia opus habet, quiq; produxit omnia

ex mera liberalitate, & προσδεμένος τῷ Θεῷ, nullius rei indigens, quandoquidem ipse origo est idearum omnium, omniumque rerum, quæ in mundo sunt, tum animarum viventium, tum corporum, omniumque quæ ad eorum sustentationem requiruntur. Atque ita his ideam proponit apostolus sublimem ac radicalem Sufficientiæ & Independentiæ divinæ Majestatis, quæ cognitio est Dei prima & solidissima, uti in ipso statim initio hujus libri ostendimus.

Ut errorem alterum confutet, docet, Deum hunc adeo sublimem velle utique agnosci & quæri; at eum non habitare templam manufactam, adeoque corporeum non esse; eum tam pro ut non esse a nobis, cum in nobis sit, ibidemque quærendus, & adorandus in templo animarum nostrarum, quæ in ipso seu per ipsum vivunt, (hoc est, per ipsum naturam habent viventem & divinam) agunt, (facultatibus suis libere utentes) & sunt seu existunt: adeo ut in nobis velui manu tangi & inveniri possit. Ergo constat, eum spiritualem esse. Denique & errorem tertium iisdem eximit, peculiarius docens, quamnam sit natura divinitatis, eamque similem non esse idolis aureis, argenteisque, vel lapidibus sculptis, qua in re sic procedere videtur. κ. τ. λ.

§. XVI. DIALYSIS.

1. Nihil in hac hujus loci expositione, erroribus paganorum opposita, hæctenus occurrit, quod hic diluendum sit, nisi quod τὸ in Deo, seu per Deum, vivere explicetur per τὸ per ipsum naturam viventem habere & DIVINAM. Ubi vox ultima sine argumento ullo per præjudicium fuit addita, discussionem nulla egens.

2. Notandum vero etiam, hunc locum Auctoris nostri hypothesein destruere. Nam Apostolus πάντα adserit, Deum fecisse seu condidisse mundum, & πάντα τὰ ἐν αὐτῷ. Et OMNIA, QUÆ IN EO SVNT v. 24. Et hoc adsertum v. 25. Speciatim applicat ad genus humanum, & quidem uti ratione corporis humani, sic omnino etiam, immo præcipue, respectu animæ humanæ, adfirmans, Deum dedisse omnibus & vitam & hali-

tum & omnia. Quis hic non videt verbum *facere*, quod de hujus universi productione adhibetur, idem esse, quod *creare*? utpote quam significationem & res ipsa requirit, & frequens usus, præcipue in versione LXX. Græca Gen. 1. in historia de creatione, suppeditat. Jam si Deus dicitur OMNIA, quæcunque in mundo sunt, fecisse, seu creasse; qua, quæso, veri specie, ab universalitate ista absolutissima eximere possumus illud, quod in universo mundo præcipuum est, nimirum animam humanam, ipsumque, quod sine anima nullum esset, genus humanum? Ecquis non deprehendit, verba: *qui dedit omnibus vitam & halitum*, esse antecedentium (*fecit seu creavit nundum, omnia in eo*) ἔθηκεν, primaria adplicatione ad genus humanum, & in eo ad animam humanam, facta?

§. XVII. AUCTOR.

Apostolus saniorum illis doctrinam propositurus ponit, ceu veritatem per se notam, Patrem quemcumque esse ejusdem naturæ, cujus est filius, filiumque omnem ejusdem, cuius est Pater. Id quod nemo unquam in dubium vocavit. Neque enim vel causa producens *patris* nomine, vel effectus productus *fili* adpellatione designatur, nisi utriusque ejusdem naturæ conformitas inveniat, & effectus vere ex causa sua prodierit. Sic nec architectus ædificii, nec sculptor statuæ pater dicitur: uti nec ædificium architecti, nec statua sculptoris progenies. *Pater* inter homines dicitur homo, qui hominem alterum ejusdem naturæ humanæ participem genuit: at ubi causa & effectus per naturam differunt, causa quidem *auctor*, effectus vero *opus* appellari solet. Adeoque ex recte loquentium usu auctorem inter & opus necessario adest naturæ diversitas; in patre vero & Filio ejusdem naturæ conformitas semper invenitur. Iam vero constat utique, Deum esse *mundi, & omnium, quæ in eo sunt*, Auctorem, aut *Factorem*, uti Paulus ait: constat, eum esse auctorem & creatorem auri, argenti, lapidis & cæterarum rerum corporalium: at vero eo ipso probatur, eum rebus istis similem non esse, quandoquidem earum auctor est. Quibusnam ergo rebus est similis? videndum, utrum

trum

trum-nullos habeat filios: hi enim si dentur, hoc ipso sciemus, Deum similem fore filiis illis suis, ejusdemque naturæ, cujus ipsimet sunt: erit itaque per hanc naturæ conformitatem id, quod filii eius sunt; quodque filii non erunt, id neque erit ipsemet quoad naturam. Atqui revera dantur filii Dei. Quinam illi? nosmet ipsi, seu animæ nostræ, pars melior & intima nostri: *Nos sumus*, inquit Apostolus, *Dei progenies*; natura videlicet nostra in ipsius Dei natura originem suam habet, ex illa prodiit, eisdemque similis est: hoc enim ipsum voces illæ *pater & progenies* indigitant.

Ergo cum animæ nostræ, pergit Paulus, ceu Dei progenies, Divinitati similes sint: Deusque vicissim, ceu pater noster, animabus nostris similis sit, videndum saltem erit, quid sint animæ nostræ, quid item non sint, simulque sciemus, quid sit natura Dei, & quid non sit. Patet autem, animas nostras non esse auro, nec argentum, nec lapides arte sculptos. Ergo cum *filii Dei simus*, inquit, *non debemus æsimare, Deum*, animarum nostrarum Patrem, seu Divinitatem (divinam naturam) similem esse auro, vel argento, vel lapidi humana arte sculpto: novimus enim, nos, qui filii eius sumus, rebus istis similes non esse. Quid ergo est Deus? videamus, quid sint animæ nostræ, quæ ceu Dei progenies ejusdem naturæ sunt, cuius est Deus. Nimirum animæ nostræ sunt intelligentia, voluntas, libertas. Ergo & hoc ipsum est natura Dei, animarum nostrarum patris. Ipse est & Intelligentia, Voluntas, Libertasque: quibus & in rebus, ut earum sumus participes, templum & cultus Dei consistunt. Intus ergo in Intelligentia, inquam Voluntate & Libertate, quas a Patre vestro dependenter accepistis, Intelligentiam, Voluntatem & Libertatem Supremam rerum omnium Creatricem & mentium vestrarum Patrem quærite & adorete; ac pro cultu, quem ipsi debetis, eandem hanc Intelligentiam, Voluntatem & Libertatem, quam ab ipso habetis, ei totam offerre. Ita videlicet Deus vere cognoscitur, Templum Dei frequentatur, ipsemet rite colitur; atque ita etiam idololatria & superstitio pariterque atheismus & profanatio feliciter & salutariter deponuntur. Hæc indigitavit Paulus.

Atque ita videmus, quænam veritates divinæ in principiis & verbis Apostoli contineantur: quarum omnium fundamentum hoc est, nos esse Dei progeniem, nos esse divinæ originis, ejusdemque essentiæ & naturæ; cuius est ipse Deus, quam scilicet ille nobiscum ex gratia communicavit. Et hanc quidem vere esse mentem Pauli, evidentissime patet ex eo, quod is, ut argumentationem suam confirmet, provocet, ad auctoritatem poetæ gentilis, cuius hæc verba affert: *Nos sumus Dei progenies*, ex natura Dei, qui generis nostri est parens, progeniti & nati; hoc enim volunt verba τῆ γὰρ ἡ γένεσις ἐσμεν. Atqui vero Aratus, cuius hæc sunt verba, æqualis & familiaris fuit viris illis, qui docebant, animam ex Deo natam esse, & divinæ naturæ participem, eodem sensu, quem nos sapius exposuimus, & quem in poeta Philosopho Paulus hic approbavit.

§. XVIII. DIALYSIS.

1. Series sermonis Pauli hæc est: 1. Simulacrorum cultoribus verum Deum, quem ignotum suo modo colebant, describit ab opere creationis & conservationis. 2. Hinc evincit a) ipsum, tanquam omnibus superiorem, & nullius rei indigum, non inclusum esse templis, ut habitaculis, nec coli posse cultu materiali, seu manufacto: b) creationis & providentiæ, (unde in Deo vivamus, moveamur & simus) scopum esse, ut homines a rebus creatis ad creatorem, illis longe superiorem & digniorem, a nobis vero non remotum, agnoscendum & rectius colendum, adscendant. Ut vero hæc demonstratio eo plus convictionis obtineat apud idololatrias, 3) per συνκαταβάσειν quandam ab ipsorum imbecillitatem, κατ' ἀνθρώπων allegat argumentum extraneum, ipsis domesticum, e Poeta Arato, humanum genus ad divinam originem & imaginem referente. Et hoc argumentum 4) ita ad rem præsentem applicat, ut a præstantia naturæ humanæ, rebus, ad Deum cultum adhibitis, mere materialibus, longe dignioris argumentetur ad præstantiam ipsius creatoris, ob hanc digniori & convenientiori modo ab humano genere colendi,

2. Hic est nexus demonstrationis; quemadmodum cuiusvis sermonem ipsum recte perpendenti patebit. Sed quid hinc præsidii ad hypothesein de animarum ortu per emanationem? Contrarium, nimirum ortum istum creationi adscribendum esse, paulo ante ex hoc ipso loco evicimus. Auctor vero noster quantopere ad scopum suum inflectere conetur apostolici sermonis filum, quis non observet? Nec ipsi patrocinator vox, *genus & locutio, Dei genus sumus*. Nam poeta hac locutione indicare voluit, vel eam tantum similitudinem, qua humanum genus, præ reliquis rebus creatis, suo modo Deum immortalem representet, citra suppositam eandem Dei & humanæ animæ naturam: vel essentialem utriusque convenientiam & æqualitatem, ratione naturæ. Si illud, inde nihil lucrabitur Auctor. Sin hoc, non plus inde præsidii habebit. Nam sic Aratus, Cilix Solensis, secutus fuisset errorem Platonicorum & Stoicorum, repudiandum, non adoptandum Christianis. Quod si exceperit, hac ratione Apostolum allegatione sua aut errorem adprobasse; quod absurdum: aut istam sententiam ab erroris suspitione absolvisse: respondeo: dari tertium, quod est: argumento aliquo, non obitans vitio, seu defectu, quo laborat, uti *καὶ ἐν ἑσπερίῳ* adversus eos, qui eo moveri & certi erroris convinci possunt. Nec enim vel temporis, vel instituti, ratio permittebat Apostolo, ut philosophicas controversias enodaret, aut poetam paganum auditoribus suis explicaret. Poterat etiam Paulus id, quod sensus vitio laborabar, sensu genuino accipere.

3. Non ergo est, quod adversus sententiam de creatione animæ verissimam locutio *genus ejus simus*, urgeatur. Nam cum genus simus humanum, cujus quæso, genus erimus, nisi Dei, respectu tam causæ efficientis, quam finis, ad quem nos & nostra omnia dirigi debent? Quod si Auctor grammaticam vocis notionem urserit, grammaticæ non solum latiore istius usum, sed ipsam quoque grammaticam possumus opponere. Nam sicut *γενναί*, unde oritur τὸ γένος, non solum significat *nascor*, sed etiam simpliciter *sio, existo, orior*; ita vox, *γένος*, non necessario habet notionem nascendi, sed sufficit notio existendi, seu orienti; quemadmodum vox cognata, *γένεσις*, eandem habet, ita ut præcisè Græcis etiam *γένεσις τῆς κόσμου* sit ortus mundi per creationem. Unde vero ortus ille, qui voce *γένεσις*, aut *γένεσις*, indicatur, dependeat; utrum e creatione, an e nativitate? non ex hisce vocibus, sed aliunde, e cujuslibet rei principii, judicandum est. Animæ vero ortum nequaquam emanationi adscribendum esse, sed creationi, ex ipso hoc Pauli loco paulo ante evidenter dedimus demonstratum.

4. Quæ

4. Quæ cum ita sint, Auctor noster Cl. operam perdit in urgenda emphasi, seu proprietate vocum, *patris & filiorum*; utpote quarum neutra in sermone Paulino legitur: & si qua adesset, accipienda esset rei sublatæ convenienter. Et fac, architectum ædificii non patrem dici, sed auctorem: quid tum? Deus hominum & auctor est & simul pater. Auctor, quia creavit: Pater, quia præreliquis omnibus creatis singulari cum adfectu eos creavit ad suam imaginem, lapsosque per Filium suum unigenitum paterne restituit, adoptat, & fovet. Et hinc uti progenies, seu genus, ita etiam opus (secus ac Auctor existimat) Dei sumus ac vocamur: teste Paulo Eph. II, 10. *αὐτὸ ἐσμὲν ποίημα*, ipsius opus sumus, creati in Christo JESU ad opera bona. Ubi notetur, creationi novæ seu hyperphysicæ respondere creationem physicam, & hanc illi.

5. Ceterum, quando Auctor omnem humanæ animæ divinitatem, divina natiuitate, quam urget, acceptam, refert ad eam conformitatem, qua Dei fieri possit capax, nimirum ad intelligentiam, voluntatem & libertatem; novet, has facultates dotesque in homine æque per creationem existere potuisse, quam per emanationem. Existisse vero, supra e loco Gen. I. probatum est.

§. XIX. AUCTOR.

Neque desunt inter antiquos illos, qui eandem doctrinam accuratius & prolixius exposuerunt. Audiamus EPICETUM, totius sæctæ decus (Atrian. in Epist. L. II, c. 8.) *Ἰπικητὸς*, auditori suo, principale quiddam es: tu aliquid es a Deo *ἐδωκεν* (*ἀποσπασμα τῶ Θεοῦ*): tu habes in te aliquam Dei portionem (*μέρος*) cur ergo nobilitatem tuam ignoras? Cur nescis, unde veneris? Nonne meminisse vis, cum edis, qui sis, qui edas & quem alas? & cum generes, qui sis, qui generes? cum alloqueris, cum exereeris, cum disputas? An nescis, te Deum alere? Deum extricere? Deum in te circumfers, miser, & ignoras? Num me argenteum extrinsecus, aut auratum aliquem (Deum) dicere putas? In te ipso eum fers, neque sentis, te cum inquinare impuris cogitationibus, tum sordidis actionibus. Nam Dei quidem simulacro præsentem non auderes quidquam eorum facere, quæ facis: ipso autem Deo intrinsecus præsentem, & omnia tum intuentem, tum audientem, non verecundaris eadem cogitare & facere, ignare naturæ tuæ & Deo invisæ!

§. XX. DIALYSIS.

Sunt certe in hoc loco, quæ laudem, immo admirationem, merentur, præcipue in Christiano, seu genuino sensu (a quo utinam non longe abfuisset philosophi!) accepta. Sed quis, veritate, quæ de Deo partim natura innotuit, partim & primario io sacris litteris radiat, veritate, inquam, hæc salva, quis illud, & a sana ratione, & a revelata doctrina, abhorrens sententiæ Stoicæ portentum adprobet, quod in hoc ipso Episteti effato exstat? Quid enim de homine dici potest insolentius, quam quod aliquam Dei portionem in se habeat, & pro accepta hæc ex essentia Dei portione vere Deus aliquis sit ipse, quem etiam edendo alat? Quid ipso Deo esse potest indignius? Certe in hoc tam manifesto *ἀποθεώσεως* (quæ haud obscure ad ipsum atheismum tendit) errore, aut, si mavis, crimine, quam graviter oleat *Στοά*, facile agnoscunt, quibus solæ sacræ litteræ sunt

ὅσων ἐυωδίας.


S. D. G.

Fig 6179

ULB Halle
002 675 65X

3





DISSERTATIO POSTERIOR
DE

ORTV ANIMAE HVMANAE

A DEO,
NON PER ESSENTIALEM EMANA-
TIONEM, SED PER CREATIONEM;

VIRO CLARISSIMO, PETRO POIRET, OPPOSITA:

QVAM

*IN REGIA FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQA;

die Decembr. hujus MDCCXIII anni

in publico colloquio disquirendam proponit
PRAESES

D. IOACHIMVS Sange,
S. TH. PROF. ORDIN.

RESPONDENTE
ANDREA GOTTFRIED UHDE,
HATTMERSLEBIA MAGDEB.
S. TH. CULT.

Editio. II.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Litteris CHRIST. HENCKELII, Acad. Typ. 1727.